LXXX. *Naſcitur* vero nitrum e rebus *putreſcentibus oleaginoſis*, acido terræ inſito concurrentibus. Unde proventus ejus præcipuus eſt, in *Bolaribus* limo-terriſi, quæ debent, concurrant.

LXXXI. Quod vero vulgo *macras* præferant Nitrarii, facilioris *tranſpirationis* aëreæ cauſa faciunt, quæ ſic *putredinem* juvat.

LXXXII. Quid etiam *phlogiſtos* ſubſtantia in ipſo *aëre* vagans contribuere valeat, alibi conſideravi, menſibus *Auguſto & Febr.*

LXXXIII. Sicut etiam acida illa *univerſalior*, quæ ipſa *alcalia* ſaturat, hic nonnihil contribuere valet.

LXXXIV. Unde vel ipſa *volatilia alcalia* in libero aëre varie alterantur, experimento obſervatione digno.

LXXXV. Provenit ita *nitrum* imprimis e rebus *ſalſo-oleaginoſis*, ut *Urinis* Animalium.

LXXXVI. *Tarde* hæc omnia fieri, nemo mirabitur, qui *putredinis actum* ipſum conſideraverit, nedum *effectum*.

LXXXVII. Cæterum putrefactio *in terra*, & adjectio *terrarum* ad res putrefactioni obnoxias *ſalinas*, varia poteſt, quæ ſponte non evenirent, e ſibi relictis illis putreſcentibus rebus

LXXXVIII. Ita *vinum concentratum*, per plures annos non corrumpitur: Ante concentrationem vero, vel poſtea quoque, *Creta*, aut ſimili *terra*, *Coralliis*, &c. ſaturatum, *ruit in putredinem*, & citiſſime, atque uberrime, in *terram* convertitur ſalſedo ipſius.

LXXXIX. Ipſum *ſal commune*, cum *putreſcentibus* rebus recte remixtum, magis quidem auget proventum *ſalis volatilis* urinoſi: ſed eo ipſo *nitroſæ* geneſi favet.

XC. *Nitrum* putredines magis reprimit, quam *ſal commune*: *Vitriolum & alumen*, *vegetam* quidem putredinem: non tamen *ſitum*, *cariem*, *corruptionem*. Exemplo *atramenti*.

XCI. *Nitri ſpiritus* auriginoſo vapore conſpicuus, ſi concentratus quoque deſtillatur, *flaveſcit* in liquore.

XCII. Meretur conſiderationem *volatilitas* ejus, cum *ferro*, *cupro*, *Zinco*, fervore ſolutionis ebullientis: De qua habet Autor curioſum proceſſum, in Phyſ. Subterr. ubi de *anima cupri*, alibi de *anima nitri*, loquitur.

XCIII. Summe *volatilem* vaporem præbet, & vix coërcibilem, quando cum *arſenico* deſtillatur.

XCIV. Imo alio haud abſimili ſubtili reſolvente adhibito, ſpiritum *volatiliſſimum* fumantem, coloris *cyanei*.

XCV. Licet autem etiam ſpiritus e *nitro* mediocriter *fixato* paratus, *arſenicum* ſolvat ſub colore *cæruleo*: